

tere a difficultate proposita : nec enim quærimus de facto, sed de possibili : quod enim de facto non peccet, et supposito hoc facto non possit ex consequenti peccare, res est nullius difficultatis, nec solum pro primo instanti, sed pro quocumque idem dici debet, quod scilicet Angelus bonus etiam in secundo instanti fuit impeccabilis, consequenter quia de facto non erat peccaturus. Si ergo in primo instanti est impotens etiam antecederet ad formandum dictamen pravum, assignet Arrubal formam impossibilem cum tali deficientia, et radicem, unde natura Angeli pro illo primo instanti eam impossibilitatem habet, sicut si Angelo beato assignamus formam impossibilem ipsam beatitudinem, et in Christo ipsam divinam Personam. Quod si non assignat, diminuta manet ejus ratio, et nihil probat. Sola enim inclinatio rationalis naturæ ad bonum potius quam ad malum, et quod petat efficacius sibi proponi bonum quam malum, hanc impotentiam non ostendit, si quidem hæc inclinatio non est necessitans ad bonum, sed indifferentiam relinquens, et mutabilitatem, nec solum datur in primo instanti, sed in toto reliquo tempore, nec vivacior, et efficacior inclinatio est pro primo instanti in natura rationali, quam in reliquo tempore : unde enim constat oppositum, aut ex qua forma, et ratione id postulat? Et sic quamdiu non assignatur ista radix, et causa repugnantiae ad dictamen pravum, diminute proceditur. Si autem pro illo instanti potens est Angelus formare dictamen pravum, si permittatur a Deo : ergo tam potens est ad peccandum, et tam peccabilis in primo instanti quam in secundo quantum est de se, quia de se potens est formare dictamen malum si a Deo permit-

tatur, et æque indifferens, et constringens est ex se, atque in reliquis instantibus, cum pro primo instanti nullam habeat formam necessitantem magis quam in reliquis.

XI. Quod si semel ponimus naturam Angeli de se in illo primo instanti non esse impotentem ad formandum dictamen pravum, nec habere necessitatem aliquam intrinsecam aut impedimentum ad formandum illud si a Deo permittatur, ita quod attento jure creationis, et naturæ Angeli pro illo primo instanti potens est ex se deficere, et dictamen defectuosum formare, si Deus permittat, non possumus invenire fundamentum, unde implicet quod Deus non permittat, quia ex parte naturæ Angeli id non implicat. Ex parte autem Dei non repugnat, quia ex hoc quod permittat, non erit auctor peccati magis in primo instanti quam in secundo, nec magis contra inclinationem bonam naturæ faciet in primo instanti, quam in secundo. Unde vel hoc quod est Deum manutenere Angelum in primo instanti, ne peccet, nec permittere ut deficiat, est gratia, et beneficium Dei, vel est debitum, et necessarium. Si est gratia, potest illam negare sine violatione ullius juris, et sine hoc quod in Deum refundatur peccatum, ut in auctorem. Si est debitum, et necessarium, debet assignari ex parte creaturæ status vel forma exigens tale debitum, et necessitatem : nam si ex parte creaturæ non est exigentia talis debiti, necessitas, et determinatio ad non peccandum, frustra injicitur Deo tale onus, et necessitas dandi auxilium congruum, et non denegandi illud, nec permitendi oppositum defectum. Est ergo ratio Arrubalis valde inefficax, et velle ad eam reducere D. Thomæ fundamentum, est reddere illud enervatum.

EFFICACIA RATIONIS D. THOMÆ.

XII. Quare solum restat una via ad efficaciter probandam sententiam D. Thomæ, scilicet ostendere quod in illo primo instanti est impotentia ex parte Angeli ad formandum dictamen pravum, et ad definiendum. Quæ impotentia cum non nascatur ex defectu libertatis quoad exercitium, quia constat in illo primo instanti meruisse Angelos per motum liberi arbitrii, etiam ipso D. Thoma attestante, restat ut impotentia ad formandum dictamen pravum sit ex hac unica ratione, quia ille actus est omnium primus, nec in illo potest se movere Angelus, sed solum ab exteriori principio moveri ad formandum dictamen. In hoc stat tota ratio implicationis D. Thomæ, et nervus rationis ejus : Angelus, et quæcumque creatura intellectualis in suo primo actu non potest se movere, nec a se accipere, et formare dictamen, sed a principio exteriori : ergo nisi tale principium exterius movens, et dans illi dictamen sit principium defectuosum, non poterit defectuosum dictamen dare, si autem possit dare defectuosum dictamen, poterit Angelus recipiens illud, deficere, et peccare : sine dictamine autem defectuoso non potest voluntas aliqua peccare, quia voluntas semper vult ex directione, et motu intellectus, unde si voluntas deficit circa bonum sibi propositum, necesse est quod in ipsa propositione, seu applicatione objecti volendi sit aliquis defectus, saltem quia non corrigit, nec detinet voluntatem, ne feratur in malum, aut ut non tendat in bonum. Quare ipsum determinare ad malum ex parte intellectus, aut permittere quod voluntas determinetur, defectus dictaminis est, quia

saltem in applicatione regulæ intellectus manet deficiens, nec potest continere voluntatem aut divertere illam ne tendat in malum ; et sic ex hac parte censetur dictamen intellectus aut omnino pravum, si objectum malum proponat, aut inconsideratum, et tepidum, si inefficaciter proponat bonum, et utrumque defectuosum est. Nec potest dici quod æqualiter proponat utrumque, et voluntas pro suo arbitrio eligat quod vult, nullo defectu stante ex parte dictaminis ; quia si unum ex illis objectis malum est, sive ex parte sui, sive ex parte modi, non potest acceptari a voluntate, nisi quia convenientia ejus sibi manifestatur, et non reputatur ut multum inconveniens, quod pro nunc acceptetur : nec enim alias posset voluntas illud sequi de facto si convenientia ejus non repræsenteretur, sed solum id quod inconvenientiæ est. Hoc ergo est dictamen defectuosum, repræsenterare cum convenientia, seu ut conveniens quod nihil nisi inconvenientiæ habet, quale est peccatum, cujus convenientia solum est apparentia.

XIII. Restat ergo probare in ista ratione duo : alterum quod Angelus in primo actu non potest seipsum movere, et per seipsum formare dictamen, sed debet ad illud moveri ab alio principio exteriori. Secundum est, quod hoc principium exterius movens intellectum, et tribuens ei primum dictamen non potest defectuose movere, et ita non potest defectuosum dictamen emittere. Ex his duobus principiis, manifeste sequitur impedimentum inevitabile in Angelo ad peccandum in primo instanti, scilicet quia caret principio determinante defectuose ex parte dictaminis, scilicet quia nec a se formare illud potest, neque ab alio exteriori principio defectuoso illud suscipere : ergo est indefectibilis

pro illo instanti in dictamine, et motione agendi : ergo impeccabiles : sicut etiam quia beatus non potest dictamen defectuosum habere, repugnante ad hoc ipsa visione beatifica, ita si Angelus in primo instanti caret principio formante dictamen pravum, et defectuosum, omnino redditur indefectibilis, prout est in illo primo instanti.

Primum ergo illud probatur, scilicet quod non possit seipsum movere in primo actu ea ratione, qua D. Thomas 1-2, qu. IX, art. IV probat ex Aristotele, quod in primo motu voluntas debet operari ex instinctu alicujus exterioris moventis, quia scilicet voluntas non movet se ad aliquem actum nisi ex alio actu priori per quem constituitur in actu ad se movendum; unde relinquitur quod in actu omnium primo non potest se movere voluntas, quia non supponit alium priorem actum per quem reducat se de potentia in actum, et idem est de intellectu.

XIV. Et hujus ratio est, quia omne movens est in actu et omne mobile in potentia, et sic movens ut movens reducit mobile de potentia ad actum, nulla autem potentia reducit ad actum per potentiam, sed per actum : ergo ut voluntas se moveat, debet supponi in actu, et non solum in potentia. Ergo cum procedit in primum actum, ad illum non potuit se movere, quia non fuit alius prior actus per quem moveretur ad istum. Nec sufficit habere objectum propositum, vel intellectum habere speciem illius, quia circa tale objectum, et circa talem speciem adhuc voluntas est in potentia ut velit vel nolit, et intellectus est in potentia ut intelligat vel non intelligat, et ut bene vel male intelligat : ergo solum, et nudum objectum non est sufficiens actualitas ut potentia ista se moveat, cum potius se habeat ut materia, circa quam debet se move-

re; et sic circa tale objectum est potentialitas in voluntate, et intellectu, ad quam vincendam actualitas desideratur : ergo solum ex uno actu potest se movere ad alium, non vero ex objecto solum se movet cum circa illud indigeat moveri, et ab illo quidem movetur objective, sed non seipsam movet, nisi ipsa efficienter se applicet circa tale objectum, sicut circa materiam. Unde recte dixit Cajetanus citato loco 1-2, quod : « Aliud est loqui de volitione, aliud de volitione, ut a voluntate applicante seipsam ad volendum. Volitio enim nihil aliud dicit nisi operationem voluntatis, qua vult, et certum est quod ad volendum sufficit voluntas cum objecto. Sed ad volendum a se, ita quod ly a se dicat causalitatem applicantem seipsam ad volendum non sufficit voluntas cum objecto, sed exigitur voluntas prævolens finem, quia velle a se non solum importat velle, sed agere, seu movere se, quod quia oportet fieri propter finem, præexistit natura, vel tempore appetitum finis : et non advertere hoc casus est loquentium. » Ita Cajetanus. Ubi insinuat efficacem hujus rationem, et fundamentalem, quia homo vel Angelus se movens in aliquo actu, debet ex fine aliquo se movere alioquin casualiter, et fortuito operatur si se movendo, non ex aliquo fine procedit, et se applicat. Ex fortuito autem motu non posset rationalis operatio dirigi. Unde perveniendo ad primum omnium actum cum non possit in illo se applicare voluntas, et intellectus ex præconcepto fine, oporteret quod omnino fortuito, et cæco modo se applicaret, vel quod applicetur ab alio exteriori movente, et finem altiorem præhabente. Unde in primo motu, seu actu, tam propter finem propter quem movetur, quam propter actualitatem secundum quam movens movere

debet, quæ actualitas sumitur ex affectu, seu actu circa finem, necessarium est quod in primo cujusque rei actu operans non se moveat, sed moveatur ab alio.

XV. Et in hoc innititur vis rationis D. Thomæ in hac quæstione LXIII, art. V, videlicet quod illa operatio, quæ simul incipit cum esse rei, est ei ab agente a quo habet esse. Quæ doctrina est universalissima de omni prima operatione agentis, quæ incipit cum esse rei : semper enim prima operatio supponit potentiam a qua egreditur, non se moventem, quia supponit illam in potentia, non in actu : movens autem ut movens semper est in actu, sicut mobile ut mobile semper est in potentia, eo quod movere est reducere aliquid de potentia ad actum : non reducit autem aliquid de potentialitate ad actum, nisi per actualitatem, non per potentialitatem, quia potentialitas non reducit, sed reducitur. Unde cum in prima operatione, quæ simul est cum ipso esse non supponatur potentia operans in actualitate ad movendum seipsam per alium priorem actum suum, oportet transire ad actualitatem exterioris agentis, ut possit per ipsum reduci de potentia ad actum, quod est moveri ab alio; et sic prima operatio motive, et applicative debet esse ab alio, licet elicitive possit ab ipsa potentia esse, quia elicentia solum est emanatio actionis, quæ utique ab ipsa potentia efficiente est, ut applicata tamen, et mota ad operandum. Applicare autem se, et movere non potest per eundem actum ad quem applicatur, et movetur, si quidem ad hoc applicatur, et movetur, ut operationem illam agat : ergo ex alio actu applicatur ad istum, non per istum se movet ut ipsummet operetur. Ergo in ipso primo omnium actu, quale est primum dictamen, quod format intellectus in

primo instanti suæ creationis, non potest formare illud a se, et movendo seu applicando se, sed debet illud habere a principio exteriori movente, et applicante intellectum, et excitante ut tale dictamen habeat, quia cum sit primus actus formare illum non potest ex propria applicatione, et excitatione seu motione sui.

XVI. Secundum quod in ista ratione D. Thomæ restat probandum, est quod istud principium extrinsecum movens Angelum in illo primo instanti, et dans ei dictamen, non possit esse movens defectuosum, et defectuose, quia si dictamen defectuosum est, ab agente seu movente defectuose provenire debet : ab agente enim recte ut rectum est, defectuosus motus provenire non potest. Et quidem facilis videtur ista probatio, quia in illo primo actu movetur a suo generante quod est Deus, qui solus produxit Angelos in esse, et solus est auctor naturæ, et solus potest intra mentem illabi, in eaque operari : ergo solus ipse operari potest illum primum actum, et dictamen illud primum intellectus formare, ad illudque excitare : Deus autem indefectibile agens est : ergo non potest dare dictamen defectuosum Angelo in primo instanti, et ita si non est aliud agens a quo detur, quam a Deo, bene infertur quod deficere non potest.

XVII. Cæterum si hoc intime perspicatur non modicam habet difficultatem, quia oportet non solum probare quod Deus sit principium movens ad illud dictamen quod formatur in illo instanti, sed quod sit ita speciale movens, quod pro illo instanti non potest compati, quod ab alio agente creato etiam moveatur intellectus Angeli, qui creatur, a quo utique defectuose potest moveri et consequenter impediri illud dictamen, quod a Deo (si solus opera-

retur) infunderetur. Itaque argumentum bene probat quod connaturale dictamen, quod pro tunc postulat Angelus sit a Deo, non tamen ostendit quod non possit impediri istud dictamen, et ab alio agente seu movente defectuosum reddi. Similiter oportet ostendere quod Deus sit ita speciale movens pro illo instanti, ut non sufficiat movere physice, et entitative ad actum illum, et secundum generalem modum quo præmovet reliqua agentia creata, sed etiam quoad rationem moralitatis, ita ut in modo movendi moraliter ipse specialiter excitet, et moveat. Specialis autem motio vel potest accipi ex parte objecti, quia ad objectum speciale movet, v. g. ad supernaturalem alicujus objecti cognitionem, vel ex parte subjecti, ut quia se habet tamquam particulare, et immediatum agens illius effectus, sicut Persona divina in Christo est specialiter influens in actus etiam humanos Christi; vel denique ex parte modi, ut quia efficaciter concurrat ad aliquem effectum a se intentum, vel sine consortio alterius causæ, sed se solo. In præsentia non potest Deus dici speciale agens solum quia movet ad objectum speciale, v. g. ad supernaturale, vel ad honestum, tum quia posset Angelum creare in puris naturalibus; tum quia hoc est de quo inquirimus, cur non possit in illo primo instanti movere Deus juxta dispositionem ipsius causæ creatæ ad entitatem materialem peccati, et non ad actum bonum, si ita a se, vel ab alia mala suggestionem incitaretur, sicut post illud primum instans potest movere ad entitatem peccati, sine hoc quod sit auctor peccati. Nec potest in præsentia accipi specialis motio illo secundo modo ex parte subjecti, cum etiam concurrat voluntas creata ad eliciendum actum, Deus autem non se solo, sed ut prima cau-

sa, quæ est concursus generalis. Restat ergo quod videamus quomodo specialiter concurrat tertio modo, scilicet applicando, seu excitando intellectum Angeli, et formando illius dictamen, ita quod a nullo alterius suggestionem possit formari.

Nam quod tunc operetur Deus tamquam principium ipsiusmet libertatis creatæ, non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo, non videtur sufficere, quia hoc etiam debet salvari in omni actu, etiam post primum instans, cum omnis actualis libertas reduci debeat in primum liberum, ideoque ad omnes actus necessaria est præmotio physica Dei, inquirimus autem qua ratione ita specialiter debeat esse a Deo in hoc primo instanti, quod non possit compati peccatum. Et D. Thomas cum reducit istos motus in Deum, non solum id facit ex eo quod libertas actuum reduci debet, et dependere a primo libero, et ab ipso accipere actualitatem; hoc enim quocumque actu libero reperiri debet, quia a primo libero dependens est, sed specialiter hoc reducit ad ipsum primum dictamen intellectus, quod debet esse ab exteriori principio, scilicet a Deo, ut ex Aristotele in VIII ethicorum docet infra qu. LXXXII, art. IV ad III et Cajetanus ibi et III contra gentil. c. LXXXIX, ratione VI, in fine capituli, et 1-2, quæst. IX, art. IV, quibus locis semper eodem tenore procedit, quod voluntas movetur ab aliquo exteriori principio, quia movetur per consilium (idem est quod dictamen) et hoc consilium ex alia priori voluntate, et illa voluntas ex alia priori propositione intellectus, quousque deveniatur in aliquod primum intellectum, quod non est a voluntate, sed ab aliquo instinctu exteriori, et exteriori movente, scilicet a Deo. Quare in hoc

insistendum est sequendo doctrinam D. Thomæ, quod Angelus in primo actu non potest ab alio accipere dictamen, et motum intellectus, quam a Deo; et ideo defectuosum dictamen, et motionem tunc habere non potest.

XVIII. In hoc autem difficultatem continet ratio D. Thomæ, quia non apparet cur non possit in illo primo instanti accipere dictamen defectuosum, si non a se, quia ille est primus omnium actus, in quo nondum potest se applicare, et movere, licet possit actum elicere, saltem ab alio Angelo malo. Ponamus enim quod modo Deus creet unum Angelum cum cognitione aliorum Angelorum, et inter illos videat dæmones, et eorum dictamina mala, aut quia Deus illi revelat eorum pessimas cogitationes, aut quia videt ipsos operantes, et loquentes mala, aut quia ipse dæmon in illo instanti in quo Angelus de novo creatur, suggerit ei, et loquitur malum. In hoc enim nulla implicatio involvitur, et præsertim quia potest Deus dicere dæmoni quod in illo instanti B producet unum Angelum, et ipse potest habere paratam suggestionem, et destinatam ad illum suam cogitationem, ut confestim atque producat, videat illum, et cogitationem ejus malam sibi persuadentem, ut habeat illud dictamen. Quod enim loqui possit Angelus illi Angelo qui producit in eodem instanti in quo creatur patet, quia bene potest agens creatum operans instantanee movere, et agere in rem in eo instanti in quo creatur a Deo, sicut si modo creatur luna, vel aer in præsentia solis, in eodemmet instanti illuminaretur ab eo, et illuminaret alia: et si crearetur homo in præsentia solis apertis oculis in eodem instanti videret, quod est illuminari a lumine solis. Et materia prima in instanti quo creatur potest

a generante immutari ut formam suscipiat, sicut fit quotidie cum ex speciebus eucharisticis generatur aliquid in eo instanti in quo subrogatur materia prima loco quantitatis. Ergo etiam in eodem instanti quo creatur Angelus, potest ab alio Angelo illuminari, et per suggestionem moveri, multo magis quam a luce corporali; si enim Angelus ille creatur apertis oculis videndo alium Angelum: ergo poterit creari videndo ejus cogitationem, et dictamen pravum, quod sibi suggerit.

XIX. Quod si hoc admittit, ruit totum fundamentum D. Thomæ, quia licet a Deo ut auctore naturæ vel gratiæ moveatur Angelus in illo primo instanti, et prout ab eo non possit in Angelo esse defectuosum dictamen, neque peccatum, tamen quia potest compati quod ab altero Angelo sibi suggeratur pravum dictamen, jam ex illa parte habere potest Angelus principium in quod refundatur malitia peccati, et non in Deum, sicut in aliis instantibus præter primum potest ex suggestionem alterius peccare sine hoc quod refundatur id in Deum. Nisi dicatur quod Deus in primo instanti per specialem providentiam vel mantenentiam avertit ne dæmon suggerat malum Angelo quem creat, aut si suggerit, quod iste non consentiat. Sed tunc oportet ostendere quod illa mantenentia, et providentia specialis ita sit debita, quod implicet non dari: nam si est possibilis suggestio mala pro illo instanti, cur erit impossibilis Dei providentia, quæ illam non impediatur? Quare iste recursus ad specialem mantenentiam Dei importune, et extra rem hic interponitur, quia vel illa specialis mantenentia est ex gratia, vel ex debito. Si ex gratia potest a Deo negari, et peccare Angelus, si ex debito oportet ostendere ex qua causa, et ratione id ne-